Quelle: http://manuscripta.at/?ID=957
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

filio dimicans. eum interemit. eiusque sponsam lauiniam. latini regis filiam.
in coniugium accepit. De cuius etiam nomine lauinium oppidum quod constru-
xerat appellauit. Regnauit igitur eneas lauinus annis tribus. Quo ui-
ta decedente. regnum suscepit ascanius qui et iulus eiusdem enee fi-
lius. quem apud troiam ex creusa coniuge genuerat. et secum in italy-
am adduxerat. Qui ascanius derelicto nouerce sue lauinie reg-
no. albam longam condidit. et siluium postumum fratrem suum enee
ex lauinia filium. summa pietate educauit. Deinde ascanius iu-
lium filium suum procreauit. a quo familia iuliorum exorta est. Qui par-
uulus quia necdum regendis ciuibus idoneus erat. ascanius cum .xxxviii.
annis regnasset. siluium postumum fratrem suum regni reliquit heredem.
Siluius igitur postumus regnauit annis .xxxviii. Qui posthumus
ideo est appellatus. quia post mortem patris est editus. Siluius quia ruri fu-
erat educatus. a quo omnes albanorum reges siluii uocati sunt. Post
quem regnauit eneas siluius annis .xxxi. Deinde latinus siluius annis
.l. Quo etiam tempore apud hebreos dauid regnauit. Post cuius obitum
regnauit alba siluius. annis .xxxviiii. Post hunc agyppa (agrippa) egyptus
siluius eius filius annis .xxiiii. Deinde capis siluius superioris regis
filius. annis .xxviiii. qui capuam in campania condidit. Item carpen-
tus siluius capis filius. annis .xiii. Postquem tyberius carpenti filius
annis .viii. Ab huius nomine tyberinus fluuius dictus est. eo quod in eum des-
cendens. extinctus sit. qui prius albala dicebatur. Successit huic a-
gryppa (agrippa) siluius. regnans annis .xl. Cuius temporibus homerus fuisse in
grecya perhibetur. Deinde aremulus siluius agyrpe superioris filius regna-
uit annis .xviiii. Iste presidium albanorum inter montes ubi nunc roma est
posuit. Qui ob impietatem fulmine ictus interiit. Post hunc regna-
uit auentinus siluius. annos .xxvii. qui fuit aremuli superioris regis
filius. quoque in eo monte qui nunc pars urbis est mortuus. ac sepultus. eternum
loco uocabulum dedit. Successor eius extitit procas siluius eiusdem auen-
tini filius. qui regnauit annos .xxiii. Quo regnante fydon argyuus. men